

P. A. G.

# SPECIMEN ACADEMICUM,

**REVELATIONI  
QUID DEBEAT  
PHILOSOPHIA  
NOSTRA,**

## PAUCIS EXPONENS;

CUJUS PARTEM FRIOREM,  
Consensu Ampliss. Facult. Philos. Aboënsis,

## PRÆSIDE,

## VIRO CELEBERRIMO,

# DONO MAG. JACÓBO HAARTMAN,


Philol. & Hist. Liter. PROFESS. Reg. Extraord.

*Publice examinandam sifit*

HENRICUS GABRIEL PÖRTHAN,  
OSTROBOTNIENSIS,

Die V. Aprilis, ANNI MDCCCLVIII.

Loco Horisq; ante merid. confvet.



ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Dic.  
Finland. JACOB MERCKELL.

S:æ R:æ MAJ:tis  
MAXIMÆ FIDEI VIRO,  
REVERENDISSIMO PATRI ac DOMINO,  
**D:NO CAROLO FRID.  
MENNANDER,**  
S. S. Theologiæ DOCTORI CONSUMMA-  
TISSIMO,  
Diœcœseos Aboënsis EPISCOPO EMINEN-  
TISSIMO,  
Regiæ ibid. Academiæ PRO-CANCELLARIO  
MAGNIFICENTISSIMO,  
Senatus Ecclesiastici PRÆSIDI GRAVISSIMO,  
Scholarum per Diœcesin EPHORO ADCURA-  
TISSIMO,  
Reg. Acad. Scient. Holm. MEMBRO MAXIME  
INCLYTO,  
MÆCENATI MAXIMO.

*U*ti obscuros per se, nec nisi mutuato lumine gauden-  
tes planetas, nativa luce sua fulgentes stelle, una  
nempe quilibet in suo, quemadmodum sol in præsenti hoc  
nostro systemate, sine ulla splendoris proprii diminutione,  
suis radiis illuminant & conspicuos reddunt; ita ex sum-  
morum virorum nominibus, que vel sola illustrare orbem  
habitabilem poterunt, auctores ignoti suis lucubrationi-  
bus, in lucem emittendis, sed propriæ præstantiæ com-  
menda-

mendatione destitutis, favoris & dignitatis aliquem locum  
fenerari haud immerito studere solent. Quamobrem,  
cum exercitii non minus, quam tirocinii ponendi gratia,  
juveniles meditationes in publicum editurus, præsidium  
& ornatum pagellis circumspicerem, TUA REVEREN-  
DISSIME PRÆSUL, non solum fecit solita & omnibus  
nobis, qui in TE Regiæ hujus Academiæ PRO-CAN-  
CELLARIUM EMINENTISSIMUM jam suspicimus,  
sat diu cognita & efficacissime probata erga literarum  
cultores benevolentia, sed specialiora illa quoque inspi-  
mis, quæ, dum hoc triennio, partim ut nationis nostræ  
Inspectorem adcuratissimum, partim ut totius Universi-  
tatis hujus celeberrimæ EPHORUM MAGNIFICEN-  
TISSIMUM, TEMET venerandi felicitas mibi conti-  
git, in me conferre dignatus es favoris & gratiae do-  
cumenta, permoverunt, ut incomum licet hunc juvenilis  
ingenii satum REVERENDISSIMO NOMINI TUO in-  
scribere, atque in signum æternum duraturæ veneratio-  
nis dicare ausus sim. Serena igitur &, qua soles,  
gratiosa fronte hanc devotissimæ pietatis tesseram ad-  
spicias, submisse rogo; quod humillimum votum si impe-  
travero, novum id sane robur iis addet, quæ ad sum-  
mum universi Arbitrum pro omnigena TUA, MÆCE-  
NAS MAXIME, & perpetua felicitate, Ecclesiæ, Pa-  
triæ, Literis, ut proficiat maxime, sic exoptatissima,  
fundere nunquam intermitte

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

Cliens devotissimus  
HENRICUS GABRIEL PORTHAN.

VIRO Plurimum Reverendo atque Preclarissimo,  
**D: NO M: AG. GUSTAVO**  
**JUSLENIO,**  
PASTORI Ecclesiarum, quæ in Cronoby DEo col-  
liguntur meritissimo,

Avunculo & Benefactori summa animi vene-  
ratione ætatem colendo.

**S**i illa unquam officia sancta sunt & inviolabilia, grata  
certe mentis officium inter præcipua, locum suo merito  
tuerit, quod quippe externa licet legis coactione solutum,  
eo majorem tamen in omnium, quos ullus subit honesti sen-  
sus, animis, vim & efficaciam habere solet. Si vero ullus  
unquam erga benefactorem fovere & testari animum debet  
gratum, mihi il certe incumbit, in quem tanta prosternit &  
tam ampla a TE, AVUNCULE PROPENSISSIME, cumulata Bene-  
ficia, ut ne quidem enumerari a me, multo minus prædica-  
ri digne, omnium autem minime, cuius nec sperandi qui-  
dem me audacia incessit unquam, compensari debita ratione  
queant. Totus enim sum in ære Tuo: cuncta fere TIBI  
debeo. Paternam, per integros duodecim annos & plus,  
sensi curam; filii expertus sum iura. Non tantum primus  
fuisti, qui fortanæ nostræ fulcro & gubernatore domi fere  
amisso, naufragii periculum incurrentibus succurrere, & in  
TUAM me domum tutelamque recipere properasti; sed liter-  
arum

KONGL. MAJ:ts  
TRO-TJENARE och HÅRADSHÖFDINGE,

Öfwer

Pikie och Halicko Härader,

Ådel och Högaktad

HERR P E T T E R  
J U S L E E N,

Min Högtårade K. Morbroder.

**U**TAN af nämna alla de oskattbara välgjernin-  
gar, som af *Min Högtårade K. Morbroders* god-  
het, hela mitt Faders-Hus i gemen, och hvor och  
en af oss i synnerhet, tid ester annan, tilslutit;  
har allenast jag, under mitt korta vistande här  
wid Kongl. Academien, med så många och öfver-  
tygande wedermålen af gunst och ömhet blifvit  
öfwerhopad, at både et större utrymme än mina  
gräntsor tillåta, och en skickligare penna än min  
öfswade hand föra gitter, skulle tarfwas, at dem  
i sin widd, och som mitt tackfamma sinne gjerna  
åstundar, utföra. Jag har ej allenast wid mine stu-  
diers idkande njutit frukten af *Min Högtårade K.*  
*Morbroders* otröttade omförg och mogna anstalter,  
utan ock i andra mål, som på en ifrån hembyg-  
den

rarum quoque primum mihi instillasti gustum & ipse ad litteras manuduxisti, assiduisque gravissimi muneri distractus officiis, aliis me informandum tradidisti. Tu monitis semper & consiliis saluberrimis me instruxisti. Tu ad inclitam hanc musarum sedem toto, & quod excurrit, triennio me sustentasti, nullisque pepercisti sumtibus, quo scientiis utilibus & necessariis animus imbueretur. TUA hanc etiam opellam, speciminis Academici loco futuram, munificentia debo. Cui igitur majori jure, quam TIBI, TUA reddere pagellasque, indocta licet minerva elaboratas consecrate debui? Cognosces hinc, TUIS qua ratione beneficiis usus sim; sed solitam precor, benevolentiam juvenilium simul conatum finas esse interpretem. Latus autem ego hanc occasionem arripio, gratæ & venerabundæ mentis patescendi recessus. Testabuntur haec literæ pia voluntatis motus, etsi grato satisfaciendi desiderio vires defint. DEum autem Ter O. M. qui benefacta sine remuneratione & indentata relinquere haud solet, calidissimis nunquam non fatigabo votis, ut Ipse, quod meas superat vires, plena & abundantia mensura impleat, omnia TIBI optata & prospera adferat, vitam diutinam & felicem, in Ecclesiæ emolumen-tum TUORUMQUE solatium & gaudium, largiatur, eademque jam per legem mortalitatis peracta felicer, æterna tandem beat in cœlesti patria vita!

*Plurimum Reverendi atque Preclarissimi  
NOMINIS TUI*

Cultor humilissimus  
HENRICUS GABRIEL PORTHAN.

den afslägse ort, och wid egen foga förfarenhet,  
ej åro af mindre wigt, haft all möjelig hjelp och  
handräckning. Så mycket mera är jag derföre, å  
min sida, til tacksamhet och årkänsla förbunden,  
som detta är det endaste, jag emot så stora wäl-  
gjerningar, kan åstadkomma. Jag betjenar mig  
saledes med nöije af detta tilfället, då jag skal fram-  
gifwa i dagsljuset mitt första Academiska lärospän,  
at tillika afbörda en af mine ömmaste skyldigheter;  
och har den åran at upoffra dessa ringa pap-  
pers-blad, såsom tacksamhets wedermålen, för all  
af *Min Högtårade K. Morbroder* åtnjuten ynnest  
och godhet. *Min Högtårade K. Morbroders* med-  
födda ädelmod försäkrar mig, at de med wanlig  
gunst lära uptagas. Hwad i min förmåga brister,  
at min innerliga årkänsla i sjelfwa wärket, å da-  
ga lägga, tåktes Förfynen af sit rika och outöse-  
liga förråd upfylla, och förlåna *Min Högtårade K.*  
*Morbroder*, til Samhällets nytta, och sanitelige An-  
höriges stöd och fägnad, en waraktig och sjelf-  
begärlig wålgång och fällhet; med hwilken wörd-  
nadsfulla önskan, jag in til mitt yttersta har åran  
at framhärdha

Min Högtårade K. Morbroders

Ödmjukaste tjenare  
HENRIC GABRIEL PORTHAN.


# CONSPPECTUS DICENDORUM.



- §. I. **I**nstituti rationem explicat.
- §. II. Spurias, vel ad præsens institutum non pertinentes de Revelationis in Philosophia usu sentencias, removet.
- §. III. Ad ipsam tractationem introducit, priusque tractationis momentum proponit.
- §. IV. *Doctrinam de DEo* antequam Revelatione ratio collustraretur, multis navis mendisque scatuisse ostendit.
- §. V. Nec *Psychologiam* mitiori fato fuisse usam, evincit.
- §. VI. Vitia & errores in *doctrina Ethnicorum Morali*, exhibet.
- §. VII. Cur ad majorem florem Physica a gentilibus perduci haud potuerit, rationem indicat.
- §. VIII. Emendationem Philosophiae a vitiis quibus apud gentiles scatuerat, Revelationi vindicat.
- §. IX. Num sine Revelationis ope ad præsens suum fastigium Philosophia evehí potuerit? disquirit.
- §. X. Dubia nonnulla contra hæc tenus disputata, resolvit.
- §. XI. Posterius tractationis momentum explicat, & quæ adhuc sit vel expectari queat Revelationis in Philosophia utilitas, expendit.
- §. XII. Adserita contra secus sentientes ulterius tuetur.
- §. XIII. Fundamentum assertæ Revelationis in Philosophia utilitatis, exponit.
- §. XIV. Ex hæc tenus disputatis, argumentum pro Divina S. Scripturæ origine deducit, dissertationisque finem facit.



§. I.



## §. I.



Ultum & acriter constat aliquo tempore inter eruditos controversum esse de Revelationis in Philosophia usu: quem præprimis, qui *Philosophi Mosaici* & *Christiani* appellari gestierunt, vel in Phylicis etiam demonstrandum sibi sumdere, aliis non minori studio iis recitentibus. Factum est inde, quod plerumque accidere solet, ut modus utrinque ægre teneretur, quamque illi justo longius extendissent Revelationis in Philosophia utilitatem, ea parcius ab his, quam decet, inculcaretur. Et illorum quidem error, qui limites, quos finis & indoles Divinarum literarum insinuant, tam manifeste transfiliebant, quo apertior est, eo facilius explodi potuit, ita ut nulos, vel paucos saltem, hodie inveniat defensores.

A

res.

res. Ast qui justo minus Revelationi tribuerunt, tantum abest ut assentientibus vel hodie careant, ut indies potius eorum & numerus & audacia crescat. Corrupta scilicet hominum ingenia, ut sunt spiritu autocratorico quodam occata, eoque ipso aduersus Summum Numen resque Divinas longe majorem, quam vel ipsi sentiunt, vel præ se ferunt, inimicitiam animo fovent, ita Revelationem in primis ut intolerandum quoddam licentiae suæ impositum jugum considerant, quod ideo ut excutere Revelationisque merita deprimere possint, nullam non arripiunt occasionem. Quum autem operæ omnino pretium videatur, Revelationis in Philosophiam merita plenius evolvere, atque contra temerarios hostium conatus vindicare ita, ut S. Scripturæ dignitatem plus ex hoc argumento reboris quam detrimenti capere pateat: Specimen aliquod Academicum editurus, hunc potissimum campum eligendum esse putavi, in quo cænellas ingenii vires periclitarer; hancque tibi jam igitur L. B. dissertatiunculam sisto, quid Revelationi de praesenti suo flore Philosophia debeat, paucis exponentem. Quam licet argumenti dignitati haud respondere sciām, ut mitiori tamen censura stringas, ea qua par est observantia rogo.

## §. II.

**Q**UAMVIS autem id in primis in praesenti agere constituerimus, ut insignem, quam rationis discipli-

disciplinæ Revelatio præstat, utilitatem ostendamus, eorum tamen conatus, qui ex S. Scriptura systema aliquod Philosophicum omni numero perfectum & absolutum exculpere aggressi sunt, eo minus esse probandos censemus, quo certius constat, non eum in finem Revelationem nobis a Summo Numine esse concessam, ut arcana quædam naturæ nobis ex professo pandat, vel mysteria Philosophica nos erudiat, quippe quod nec DEum voluisse, nec hominibus esse necessarium patet: sed ut veram ad æternam felicitatem viam monstraret, mediatorem DEum hominibus reconciliantem proponat, atque ad meriti ejus communio nem quosvis salutis suæ studiosos invitet; qui certe finis nihil, quod systema Philosophicum proprie & communiter sic dictum sapiat, promittit. Experi entia præterea loquitur, frustra Mosaicos illos atque Christianos Philosophos, (ita enim contra quos disputamus vocari cupiebant,) in isto faxo volvendo desudasse, imo illatis plerumque in S. Scripturam suis hypothesisibus, sensum θεόπτευσον mire depravasse. Neque magis illorum ratio placet, qui dum a parte rationis placita sua haud satis firmo niti fundamento cernerent, intempestivo zelo S. Scripturæ iis prætendere auctoritatem adlaborarunt, arreptisque hinc inde S. Codicis phrasibus, partim nihil tale innuentibus, partim apparentiam tantum rei nudam sine ulteriori determinatione in transcurso quasi exprimentibus, suas hypotheses incertas, dubias, falsas, pro veritate Divina & im-

mota venditarunt. Nec illorum denique sententiam ut jam defendendam suscipiamus, instituit fert ratio, qui in S. Scriptura vestigia se deprehendere putant veritatum quarundam physicarum, recentiori demum ætate investigatarum detectarumque, quarum ideo Divinam originem prodidisse semet feliciter autumant. (a) Licet horum alias labores hand improbemus, quin in multis collaudemus potius, sententiam eorum, quoties firmas assertionis suæ allegare valuerint rationes, (plus enim interdum viros hos cetera acutissimos in Sacro textu vidisse, quam vident alii præjudiciis non præpediti, negari haud potest,) ultro amplexuri.

## §. III.

**R**Emotis ita quæ scopum præsentem non tangent, proprius jam ad institutum nostrum accedentes, Revelationisque in Philosophiam merita qua quidem fieri potest brevitate enarraturi, inter prima utique & maximi ponderis momenta ponimus, quod tot nevis mendisque scatens, *Philosophia*, quædā in gentilibus excolebatur, *Revelationis* imprimis ope non tantum repurgata fit atque emendata ab iisdem feliciter, sed ad præsens quoque suum fastigium,

quæd

(a) Quorum facile principes sunt viri Celeberrimi Jo. Jacobus Scheuchzer in *Physica Sacra*, & Bernardus Nieuwentyt in opere elegantissimo: *Nechte gebrauch der Weltberachung u. qui videri possunt.*

quod nisi *Revelatio auxiliatrices porrexisset manus,*  
*vel ægre vel nunquam attingere valuisset, paulatim*  
*sic evecla surrexerit.* Quam quidem *Thesin secundum*  
*singula membra rite probaturi, necesse omnino*  
*erit, ut in antecessum, quæ Philosophiæ ante*  
*eius cum *Revelatione* factum connubium facies*  
*fuerit, strictim perquiramus, potioresque & maxi-*  
*me fundamentales errores, quibus in veritatis ul-*  
*teriori indagine morabantur & impediebantur gen-*  
*tilium Philosophi, annotemus, facilius deinde tu-*  
*tiusque, hac consideratione præmissa, quid *Reve-**  
*lationi in Philosophiæ emendatione tribuendum sit*  
*vel minus, judicium laturi.* Monebimus autem  
*hic B. L. ne hæc *Revelationis* merita ad omnes*  
*disciplinas Philosophicas æque nosmet extendere*  
*velle cogitet, etiam eas, quæ cum veritatibus *Re-**  
*velatis nullum directum habent nexus, ut *Mathe-**  
*maticas &c. quarum quidem florem parum, nec*  
*nisi indirecte, a *Revelatione* dependere, aliusque*  
*adscribendum esse caussis, lubenter largimur. Non*  
*enim aliam *Revelationis* in *Philosophia* utilitatem*  
*asserere nos in præfenti & propugnare, quam*  
*quæ ex mutua utriusque cognatione deduci &*  
*intelligi possit, clarius infra evadet.*

## §. IV.

**I**ndolem igitur & conditionem Philosophiæ gen-  
 tilis strictim examinaturis, primum *Doctrina de*  
*DEo*, quam sumnum esse omnis sapientiæ apicem

ipſi gentiles saniores confessi ſunt, conſideranda ſe nobis offert. Egregie quidem ejus cum præſtantiam, tum neceſſitatē, ſe intellexiſſe oſtentit Cicero, de Nat. Deor. L. I. c. 2. qui, quæſtiōnem proferens, num DEus provideat rebus huma-niſ, nec ne? Ea, inquit, niſi dijudicetur, in ſummo errore neceſſe eſt homines atque in maximarum rerum ignoratione versari; & paulo poſt: Cum pie-tate filiul & ſanctitatem & religionem tolli neceſſe eſt: qaibus ſublatis, perturbatio viṭe ſequitur & ma-gna confuſio. Atque haud ſcio, an pie-tate adverſus DEos ſablatā, fides etiam, & ſocietas humani generiſ & una excellentiſſima virtus iuſtitia tollatur. Hæc vero tanti ponderi do-ctrina inepte ſatis & miſere a plerisque gentiliū Philoſophorum traſtata eſt. Atheos, vetuſtiori æque ac recentiori ævo proh dolor! in dedecus humani generiſ repertos, non moror. (b) Reliqui, licet ſubinde multa de DEo ſana & egregia diſputaverint, cum tamen de ortu hujus universi, aut de origine mali & animæ hu-manæ dicendum eſſet, quæ antea ſtruxerant di-rue-

---

(b) Si, latiori ſenſu, Atheiſmi vocabulum omnes, qui talem de DEo opinionem fovent, quæ veram ejus notionem evertit, ſub ſe comprehendet, ſane omnes fere gentiles hac labo fuſſe infectos dicendum erit. Minus vero iuſta hac Atheiſmi ſignificatione nos abſtinemus, illos ſolum hoc no-mine intelligentes, qui data opera tale excogitarunt ſyſte-ma, quod DEi exiſtentiam omnemque ejus metum tolleret. Quales ex veterib⁹ fuſſe perhibentur Diagoras, Demo-critus &c.

ruebant, & vel materiam aeternam DEo adjungebant, (c) vel spiritualitatem ejus simplicissimam evertebant, (d) vel fato inutili & cœco Eundem subjiciebant, (e) vel omni rerum creatarum cura & gubernatione spoliabant, (f) & sic porro,

(c) Mirum procul in modum haec de aeternitate materiae opinio animis eorum inolevit, ut ne unum quidem ex iis, qui ortum mundi explicare tentaverit, hoc errore vacuum reperire liceat. Vid. Bruckeri Hist. Crit. Phil. passim suis in locis & quam p. 678. T. I. in primis laudat Dissert. Cel. Moshemii de creat. mundi ex nihilo, Cudworthi sist, Intell. adnexam.

(d) Quo omnes illi pertinent, qui vel certam DEo figuram & formam rotundis verbis tribuerunt, ut Eleatici, Epicurei; vel mundum a DEo emanasse statuebant, ut populi Orientales plurimi & Graciae Philosophi fabulares antiquissimi; vel animas saltem hominum ab essentia DEi esse decerptas vel emanasse putarunt, ut ceteri Graciae sapientes vel Philosophi fere omnes. Nam quod οὐκέτι φεύγει hac ex parte erat, tam crassas de spiritibus notiones animo sovebant, ut nec dubitaverint, vel ipsum DEum ignem, lucem &c. utut subtilissimum, dicere. Conf. de his omnibus supra laudatum Bruckerum, p. 690. 924. 1077. &c.

(e) Kogia Stoicorum δόξα: Sic enim Seneca, de providentia c. 5. ex Stoicorum mente, eadem, inquit, necessitas & DEos obligat; ac irrevocabilis Divina pariter ac humana sursum vebit.

(f) Prater Epicureos & Democritum, cuius fontibus Epicurus horulos suos irrigavit, teste Cicerone de N. D. L. I. c. 43. in eodem quoque luto hæsit Aristoteles; notissimum enim ejus est dogma, DEum sublunaria non curare. Ob-

ro, quibus omnibus dinumerandis jam supersedemus. Hæc, quamvis Summo Numinis maxime esse indigna, prima fronte quilibet sana mente instrutus videre possit, in omnium fere gentilium Philosophorum systemata nihilominus, saltem quoad partem, irrepererunt. Qualis autem futurus sit *Theologie* habitus, independentia, spiritualitate, libertate, providentia, omnipotentia, aut similibus summi Numinis attributis, ceu fulcris hujus doctrinæ præcipuis, sublatis vel infractis, cuilibet judicandum relinquo.

## §. V.

**Q**Uæ de *anima* humana gentilium tradebant Philosophi, neque majoris erant pretii. Sive enim originem sive naturam ejus rimari vellent, ceu imperscrutabili quodam & stupendo mysterio perturbati, in varios errorum gyros inciderunt. Qui nihil, nisi quod oculis videre manibusque palpare poterant, existere admittebant, cum Eleaticis & Epicureis animam materialē esse & una cum corpore nasci interireque, docebant. Alii cum Aristotele *de Anim.* L. II. c. 1. animam per εὐτελέσθαι λέγοντες τάντας φυσικάς οργάνους, λόγον ἔχοντες δύναμιν (quod nihil aliud innuere, quam actum permanentem vel vim primitivam activam corporis, omnium

---

fervandum quoque, quod, qui providentiam Divinam negabant, etiam a formatione mundi penitus Deum semper excluderint.

omnium circumstantiarum diligens docet comparatio,) definientes, atque inter mentem & animam, <sup>νὴν καὶ ψυχὴν</sup> discrimen facientes, illam quidem immortalem & simplicem statuebant, hanc vero corpoream & interitui obnoxiam. Difficile quidem determinatu est, quid per *mentem* illam seu *intellectum agentem*, quem extrinsecus advenire homini eidemque immitti putabat, intellexerit Aristoteles; id tamen nihilominus verosimile admodum est, ceu æternum & in tota specie humana unicum, omnibus orbis terrarum hominibus communem, illum obscure licet sibi eundem concepisse. (g) Reliqui vero, qui his faniores videri volebant, quibusque hæc deliramenta placere non poterant, debere quidem

B

(g) Videtur hic ad *animam mundi*, quam a Platone acceperat, alludere: licet enim cuique homini Plato, contra quam fecit Aristoteles, suam animam peculiarem & propriam assignarat, omnes tamen & singulas ex anima mundi sua, quam ex natura tum *idea* Divinæ exemplatis, tum *materiae* aternæ conflatam denuo, adeoque tertio jam gradu inferiori a fonte omnium entium spiritualium limpidissimo, *DEo*, derivatam somniaverat, disceptas statuebat. Similiter ergo *mens s. intellectus agens* Aristotelis non quidem erat ipse *DEus*, quem ad ultimam usque cœli sphæram relegavit, sed *eo inferior* quædam *intelligentia*, per totam terram diffusa. Vid. Brucker. T. I. p. 702. seq. & Walchii parerg. Acad. p. 262. 304. & 310. Ita lusus ingenii mire variant, ubi frenum semel eidem laxaveris; neque error, ut dicitur, admissus in prima concoctione, tollitur facile in seunda & tertia.

dem animam a corpore diversam esse substantiam, ex diversissimis ejus & vires corporis longe superantibus operationibus perspiciebant, (b) utut neque fugere illos potuit, in corpore tamen debere illam versari; cum autem, negata creatione ex nihilo, nulla alia ratione ortum animorum explicare possent, (i) eo absurditatis delapsi sunt, ut hinc ad

(b) Conf. Cicero de Amicitia cap. XIX. & de Senectute c. XXI. & XXIII. cujus verba maximam assertioni nostrae lucem conciliantia, legi omnino merentur.

(i) Creatione ex nihilo sublata, omnes simul veri nominis substantias immateriales, præter DEum, tolli; nisi animorum ex essentia Divina ortus satis absurde admittatur, infra suo loco demonstrabitur. Licet autem hi, de quibus loquimur, Philosophi plerique tam alte quidem cogitatione surgere haud valuerint, ut veram & genuinam entis simplicis ideam, sine admitione alicujus corporei, quod imaginatio facile subdit, formare potuerint, sed ut ærem, lumen, ignem, vaporem subtilem, illud sibi representaverint; entis tamen simplicis plurima attributa & proprietates admittabant, & a corpore visibili sollicite idem distinguebant, contradictionem hic latentem non animadvertisentes. Hanc igitur cogitationis capacem materiam vel quasi materiam, quam reliqua crassiori materia opponebant, ex hac nequam quam oriri potuisse, sed diversæ prorsus esse originis putabant. Quum autem creationem ex nihilo rejicerent, nec præter DEum & aternam materiam aliud quicquam aternum esset possibile, unde subtile hos spiritus deducerent, materia vero ista aeterna, ceu crassa nimis & rudis, ipsis producendis ex se idonea minus & inepta censeretur, reliquum erat, ut essentiæ Divinæ particulas quasdam illos es-

ad Divinam eorum originem concluderint, eosdemque æque ac genios varii generis, seu angelos, quorum confusam pariter notitiam quandam, per traditionem maxime, analogia adstipulante, accepterant, ipsius essentiæ Divinæ particulas quasdam ignobiliores esse statuerint, quæ quidem, ob nescio quæ delicta, in corpora humana tanquam in ergastula quædam pœnæ & purgationis ergo detrusæ essent. Egregie autem prorsus de his Cicero de Nat. D. L. I. c. II. non viderunt, inquit, distractiōne animorum humanorum discerpi & dilacerari

B 2

DEum:

se statuerent, idque eo potius, quod divisibilitatem Divinæ essentiæ haud repugnare, depravata primum vel sublata entis simplicis genuina notione, concludebant. Ne autem quis putet, injuste sic nosmet gentilium Philosophis materialismi crimen obvertere, cum frequenter tamen apud eos vocabula *immaterialis*, *simplicis*, *spiritus*, (*ἀσώματος*, *ἀπλός*, *πιενυματος*) occurrant, notandum, diverso plane sensu ac apud nos, ea fuisse a plerisque saltē eorum adhibita, nec nisi materiam quandam subtilissimam, invisibilem, homogeneam, crassiori materia oppositam, vi cogitandi præditam, natura sua immortalem, ipsis denotasse. Dicta confirmant, ut alia prætereamus, ea in primis apud scriptores gentiles loca, in quibus, quod modo simplex, immateriale, spiritum dixerant, mox aër, ignis, lux &c. vocatur. Si qui alii, certe Stoici multa de animæ simplicitate, immortalitate & præstantia disserebant, & hi tamen Philosophi ipsum quoque Divinum Numen, multo magis animam, ejus, ut putabant, ignobilorem particulam, ignem quendam subtilissimum dixerunt. Reliquorum par est ratio. Vid. in primis Moshem. ad Cudworthum Syst. intell. c. I. §. 17. p. 36.

DEum: & cum miseri animi essent, quod plerisque  
contingeret, tum DEi partem esse miseram: quod fieri  
non potest. De immortalitate animæ quid tenuerint  
gentilium sapientes, ex his quæ jam attulimus,  
judicium facile fieri potest. Qui videlicet  
admittere eandem videntur, sicutneis plerumque  
& male cohærentibus, ut in confusa cognitione  
fieri solet, rationibus eam superstruunt; reliqui  
pro figmento habent. Nec ex toto ethnicorum  
Philosophorum choro, unus quidem produci po-  
test, qui hujus veritatis ~~anodægn~~ vere talem & per  
omnia sibi constantem dederit; quin potius in con-  
fusa quadam rei arduæ & obscura etiam notitia  
subsistentes, majorum ut plurimum auctoritate &  
traditione perpetua insigniter in hac sua opinione  
probabili confirmati sunt. Ut si hæc quoque Re-  
velationis filia abfuisset, dubius fere quis hæreret,  
anon penitus cognitionem eorum veritas hæc  
maximi momenti subterfugisset: saltem si cognita  
etiam quibusdam fuisset, paucorum certe reportas-  
set firmum & immotum consensum. Prout autem  
quisque de ortu & natura animæ diverse sentie-  
bat, ita porro de reliquis quoque ejusdem affe-  
ctionibus judicare necessum habuit: unde facile  
intelligitur, falso superstructa fundamento, aut fal-  
sa fuisse omnia, aut sibi mutuo repugnasse, atque  
**in unum conflata, chaos quoddam doctrinarum**  
**confusum & male cohærens effecisse.**

**I**N Morum doctrina excolenda, non exigua quidem multi ex gentilium Philosophis industria collocarunt; labori vero successum haud respondisse, vel ex iis, quæ breviter de Theologia & Psychologia eorundem adduximus, judicium fieri poterit. Tam arcto enim hæ scientiæ vinculo copulantur, ut una eversa depravatave, non possint non reliquæ simul gravi vulnere affici. Cujus quidem rei testimonia, gentilium Philosophiam perlustranti, plurima fere offerent. Intra nostram autem manebimus scientiam: quam ex perversis gentilium opinionibus Theologicis atque Psychologicis, non parum damni contraxisse patebit. Namque illos quidem, qui providentiam Summi Numinis sustulerunt, simul omne obligationis, legis & virtutis fundamentum immane quantum labefactasse, sole clarus est. Quæ enim virtus? quæ lex? quæ obligatio? ubi nullus agnoscitur superior, nulla sentitur vis obligatoria, nullum boni vel mali præponditum exquisitum? Similiter qui fato cuidam cœco & absolutæ necessitati actiones hominum subjecerunt, quid unquam doctrinæ morali sanæ adversum aut inimicum magis, excogitare potuissent? Funditus enim hoc ipso omnem humanam libertatem atque inde pendentem actionum imputationem sustulerunt. Et hoc tamen absurdum & impium dogma, non barbaris tantum plenisque gentibus placuisse constat, sed a Græcis

quoque Philosophis eorumque sectatoribus Romanis, in primis Stoicæ sectæ addictis, qui præcipue tamen exultæ moralis Philosophiæ gloriam sibi tribuebant, esse propagatum scimus. (k) Nec minorem Psychologiæ corrupta conditio in morum doctrinam influxum habuit. *Animæ immortalitatem negatam a multis, a reliquis non nisi dubitanter & perverso sensu fuisse assertam, supra notavimus.* Esse autem hanc inter præcipua moralis scientiæ fulcra numerandam, ii omnes largiantur oportet, qui cogitaverint, nonnisi hac posita poni posse præmia & poenas post mortem, gravissima ad virtutem sectandam fugiendaque vitia incitamenta, quibus sublatis, non metus solum Divinæ vindictæ tollitur, efficacissimum ad malos coercendos frenum, sed spes etiam omnis melioris vitæ & consolatio eorum, qui virtuti litant, evanescit. Hoc itaque virtutis Palladium qui interverterunt, non potue-

(k) Adponere heic lubeat hujus rei nonnulla testimonia: præter fati definitionem a Chrysippo datam, quam nobis conservavit Gellius No& Att. L. VI. c. 2. & insignem locum Seneca Tragœdi Qued. v. 980. versus quosdam Græcos Cleanthis, huc pertinentes, sic vertit Seneca Philosophus, ipse quoque Stoicus, Epist. 108:

Duc me parens celsique dominator poli  
Quocunque placuit: nulla parendi mora est,  
Adsum impiger: fac nolle, comitabor gemens;  
Malusque patiar, quod pati licuit bono.  
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Conf. §. præced. IV, not. (z)

potuerunt non lubrico admodum fundamento totam morum doctrinam superstruere, (l) nec aliter, quam ex ambitionis aliquo stimulo, virtutis umbram quandam, non ipsam virtutem, sectari illos & colere oppido patet. Reliqui vero, qui animæ immortalitatem ut probabilem defendere videntur, licet ex hac ratione solidiora utique virtutis motiva adferre debere videantur, (m) parum tamen,

(l) Non ignoramus quidem, præter poenas & præmia alterius vitæ, alia quoque motiva circumfert, quæ hominem ad legis naturæ observantiam incitare & flectere valent, vel perfectionem & utilitatem propriam, vel internam virtutis præstantiam, vitiorumque foeditatem &c. respi-cientia. Sed si ad indolem hominum corruptam paulo curatius attenderimus, facile patebit, ad superandam perversitatem ad mala proclivitatem parum hæc sufficere. Propria utilitatis & perfectionis promovenda principium ejusunque corrupto subjacet judicio, poenarum & præmiorum alterius vitæ consideratione sublata; de virtutis vero excellētia & vitiorum foeditate pulchre sic quidem per theoriam generalem disputari potest, at applicate in rem nostram nihil vel parum hæc speculatio sola ad cupiditates respen-dandas valebit. Præmia & poenæ naturales, cum immediate actionem sequantur, præmiorum & poenarum vim omnem atque considerationem apud homines malefanos fere amittunt; nisi igitur legem naturæ sanctione poenali sufficiente carere, hoc est, vi legis destitui, existimare velimus, poenæ & præmia ulteriora, alterius maxime vitæ, ei conjungenda sunt.

(m) Sufficere namque hoc prudenti debet, quod salem magnum ponamus argumenta pro immortalitate animæ habeant, & quem bonis melioris vita eximiam dent, justum vero improbus

tamen, si placita eorum paulo curatius expendantur, huic exspectationi satisfaciunt. Ut enim supra jam innuimus, arctissime apud gentiles hæc propositio, anima est immortalis, cum illa, qua essentiæ Divinæ particula statuitur, cohærebat. Priorem igitur cum affirmant, conjungenda ei etiam erit posterior, quo sit, ut non minus absurda, impia, doctrinæque morali sanæ adversa, hæc ipsa evadat hypothesis, quam illorum, qui animæ immortalitatem plane non admittunt, audacia. (n)

Accessit

---

*metum future gravissime pæne incutiant.* Ingentis enim mali etiam non magna timendi retio, ne dicam magna verisimilitudo, cum cœundi excitare debet. Ut egregie monet auctor anonymous (qui illustr. Leibnizius putatur) Epistola censoriæ in Libr. Pufendorfii de Off. hom. & civ. quæ hujus Libri edit. a Cet. Barbeyracio curatae adnexa est, §. VI.

(n) Hinc enim, quasi ex largo quodam fonte, non superbia tantum, quam ubique produnt gentilium Philosophi, maxima, simul licet subtilis & honestatis quandam speciem mentiens, prono fluebat alveo, sed alia quoque plurima virtus & errores scaturiebant. Non veritos eos suisse Divinitatis quoque cogitationes alere, videre ex Ciceronis Libro de Senectute cap. XXII. licet, ubi Cyrus moriens ex Xenophonte ita filios addoquens introducitur: *quare si hæc ita sunt* (sic! esse animam immortalem & consequenter essentiæ Divinæ particulam) *sic me colite ut DEum*, sic &c. Ita in Somnio quoque Scipionis, Africanus major minorem docet *quod DEus esset*, cap. VIII. initio. Qui autem ipsi dii essent, quid opus fuit, ut primum suum fontem precibus fatigarent, nisi de rebus ad hujus vitæ utilitatem pertinentibus, quæ ipsorum quidem non subjacebant arbitrio?

Accessit præterea & hæc mala insigniter auxit, ignoratio non lapsus solum humani generis gravissimi, sed effectus quoque ejus, intimæ & profundissimæ hominum corruptionis, cuius nulla ferre distincta cognitione gaudebant. Pervicacem, quam apud se animadvertebant ad mala proclivitatem, ut molestam quidem deplorabant; (o) quod vero vitiosa esset, atque legis Divinæ violationem simul involveret, penitus eos fugiebat. Die Heidnische Philosophen, egregie inquit Cel. Walchius Lex. Phil. tit. Erbsünde / könnten nicht wissen / wie die begierden in der sünde und abweichung vom Gottlichen Gesäze bestunden / welches auch Paulus Rom. 7: v. 7. von sich selbst bekennet. Die bösen und unordentlichen begierden kan zwar ein jeder bey sich aus

C

eigner

Et cum summo DEo, qui in æternum partibus suis essentialibus carere haud poterat, essent necessarii, de poenis æternis ne somniabant quidem. Bonorum post hanc vitam remuneratio in eorum essentiali cum DEo reunionē consistebat, quam igitur sibi properare, præcipua sapientis erat cura. Improbos vero, si a Poëtarum fabulis discedas, nulla alia manebat poena, quam hujus felicitatis aliquantum temporis retardatio, quem in finem alii Metempychosis, alii alia commenta in partes vocabant. Quam parum vero utilitatis hæc omnia morali doctrinæ attulerint, vel me non monente quilibet intelligere facile potest.

(o) Hinc triti illi versiculi:

*Nitimus in vetitum semper, cupimusque negata.* Ovidius.

Item:

*Video meliora proboque, deteriora sequor.* Idem.

eigener erfahrung empfinden: Seneca sagt de ira L. II. c. 9. inter cætera mortalitatis incommoda & hæc caligo mentium, nec tantum necessitas errandi; sed & errorum amor; und desß Sopatris ausspruch beym Grotio comm. ad Lucæ 2: v. 22. soll gewesen seyn: οὐαὶ ποτε ἀπέρωτος τῷ αὐαγμένῳ, aber auf die abweichung von Göttlichen Gesäze könnte man mit der blossen vernunft nicht kommen/ da man sich bald über die bösen verrichtungen über die gewonheit / bald über die nachahmung beschwerte / wie man aus dem Cicerone und seneca hin und wieder sehen kan. = = = = Sie wüsten nichts von der straffe der sünden / und wegen des natürlichen Todes / flagten die meisten Philosophen die natur und die gebrächlichkeit desß leibes an; von dem Geistlichen aber wüsten sie gar nichts / und ihre gedancken von ewigen leben / waren entweder irrig oder doch gar ungewiss. Quam vero hujus corruptionis suæ exactior notitia, virtutis iter serio & feliciter emensuro sit necessaria, facile intelligitur. Qui enim fieri potest, ut feliciter se curet, qui ita penitus morbi sui naturam nescit, ut cum maxime ægrotet, sanum se esse putet? vel num is vitia superasse feliciter censendus est, qui prominentias eorum aliquousque sustulerit quidem, atque quo minus in actus externos turpes palam erumpant impediverit, sed truncum tamen radicesque intactas reliquerit, novos semper ramos surculosque progerminaturas. Hinc igitur gentilium istorum virtutem veram & solidam esse haud potuisse, sequitur; quibus quippe pro isto, quod ei-  
dem

dem adhærebat, malo vel morbo originario & maxime fundamentali, medela nulla ex ista quidem philosophandi ratione suffpetebat. Ex eodem hoc fonte, corruptione scilicet profundissima humani generis ignorata, superba illa quoque gentilium de propriis in conversionis negotio viribus perswasio fluebat, quæ tanta erat, ut nulla se ad virtutem colendam Numinis ope egere, crederent, sed in propria cujusque hoc esse potestate & arbitrio positum ja&tarent. Sic enim Seneca, *stultum esse*, ait, *bonam mentem a diis optare, cum uniusquisque eam a se ipso impetrare possit;* & Horatius L. I. Epist. 18. canit:

*Sed satis est orare Jovem qui donat & aufert,  
Det vitam, det opes; æquum mihi animum ipse parabo.*

Quæ pluribus inculcat atque persequitur Cotta apud Ciceronem de N. D. L. III. c. 36. Ex his igitur cum satis patere arbitrer, quam multis vitiis scatuerit morum quoque doctrina apud gentiles, instituti memor, reliqua, quæ hac de re dici possent, prætereo.

### §. VII.

**D**Evolvimus jam ad *Philosophiam gentilium Naturalem* considerandam; cuius quidem præsentem florem Revelationi aliquomodo adscribere, licet ineptum forte primo intuitu videatur, re tamen altius perpensa, non sine omni id ratione fieri,

fieri, elucescere arbitramur. Respiciendum vero, ut diximus, in antecessum paulisper ad conditionem hujus scientiae ante ejus cum Revelatione initum connubium, unde non exiguum assertioni nostræ lucem affundi speramus. Observatu autem dignum est, palmarium in Philosophia Naturali gentilium vitium fuisse, quod non tam experientiam ducem in scrutanda natura secuti sint, quam assumtis potius pro lubitu hypothefibus, omnia phænomena ex iis explicare tentaverint; unde factum, ut metaphysicis magis speculationibus argutiisque dialecticis, Physica oneraretur, quam utilibus locupletaretur experimentis inventisque. Perversi autem hujus instituti rationem ipsa Philosophia eorum indoles facile suppeditabit. Qui enim primum de rebus naturalibus philosophari instituebant, antequam de natura & affectionibus rerum singularum disquirere atque exponere aliquid possent, non potuerunt non de ortu hujus universi rerumque omnium conjunctione sumtarum, certam aliquam scientiam desiderare. Est enim hoc humanæ menti insitum, ut quam primum rationes rerum investigare susceperit, ad quod suamet quidem ipsa natura fertur, sui ipsius originem totiusque hujus, in quo degit, universi primum noscere cupiat; quarum rerum ignoratio eo illam magis angit, quo difficilius ab iis cogitationes abducere potest. Corruptio autem humani non minus intellectus, quam voluntatis, in causa est, cur inquieto huic certiora de rebus maximis sciendi desiderio,

siderio, ut ad summi sui & universi Conditoris notitiam hoc stimulo perveniant, hominibus indito, levissimis saepe & ineptissimis commentis satisfrat. Quod quidem his quoque, de quibus loquimur, Philosophis accidit; qui in diversa licet multum abierint, cuncti tamen, de recto aberrantes tramite, pro junone nubem sunt amplexi. Id autem quamvis ad Physicam parum pertinere videri posset, pertinuisse tamen, magis ecquidem quam optandum foret, quæ mox sequuntur demonstrabunt. Namque qui in explicanda hujus universi origine nullam quidem Summi Numinis rationem habebant, alias certe, potentiaæ DEi creatrici conservatricique æquipollentes, rationes physicas adinvire utique debebant, ex ipsis materiæ sinu & essentia evolutas deductasque; quod cum salva veritate fieri manifesto repugnet, ad fingendum delapsi, varias varii excogitabant hypotheses, quo majori se subtilitate commendabant, eo quidem præstantiores, quas, dum communi hominum vitio nemo errasse videri vellet, ut veritatis præ se speciem ferrent, quibus posset coloribus quisque pingebat, & pro virili contra secus sentientes defendere annitebatur. Generali igitur huic principio tota Physica erat convenienter tractanda, ad quod omnia quoque phænomena, quantum unquam licuit, explicari, exigi, adaptari debebant, nihil vero contrarium eidem aut doceri aut admitti potuit; plurimæ igitur veritates opprimendæ, plurimæ fallaciæ exstruendæ erant, quarum

ideo uberrima quoque segete veterum scripta abundant. Ex eodem etiam hoc fonte, non potuerunt non sectae, odia, rixæ, cavillationes captiosis & inanibus circumvestitæ speculationibus, ceteratim promanare, quibus per tot deinde secula non referta modo, sed oppressa etiam, pulcherima jacebat scientia. Quæ omnia non antiquiorum tantum temporum historia literaria confirmat, (p) sed recentior quoque satis superque illustrat experientia.

Qui

---

(p) Ad unum provocamus Epicuri Physices systema, quod eleganter in primis exposuit T. Lucretius Carus libris suis VI. de *Rerum Natura*, quod qui attentius paulo consideraverit, facile deprehendet quam ibi omnia atomis personent; qui suo motu & declinatione totius mundi ornatum produxerint, qui generale quoque Physices fundatum & clavem quasi universæ naturæ hisce Philosophis subministraverint, in quorum favorem multa perverse & temere docuerint, pro quibus tanquam pro aris & focis pugnari, qui rixas & altercationes acerrimas excitarint, & verbo, qui suis consequentiis totam Epicuri Philolophiam in primis deformaverint. Aristoteles, cui in Physicis rationum loco verba vocesque vendere familiare erat, dissecando optime se nodum solvisse ratus, omnem prorsus mundi originem omnemque consequenter præexistentem materiam negabat. Verum omnia tamen præceptorum principia exuere impotens, simile quoddam ille quoque, quo fingendi pruritum pasceret, commentum invenit, materiam ejus primam puto, ad quam cum non nisi abstractionis ope pertingere posset, abstractionum in Physicam introducendarum auctor fuit, egregie ipse hoc artificio ad inscitiam tegendam ulus.

Qui vero non quidem penitus a creationis conservationisque negotio DEum removebant, sed creationem tamen ex nihilo negantes, non nisi architecti, æternam materiam pro varia ejus aptitudine scite disponentis vices Summo Numini sustinendas assignabant, necessariæ fere curiositati chaos hujus æterni naturam faciemque indagandi se exponebant; cum & ad intelligendam mundi ex eo formationem maximi esset momenti, & hinc quasi ex communi quodam fonte principia legesque corporum generales, singulis phænomenis explicandis aptas, facillimo negotio eruere se posse, persvasi essent. (q) Hæc igitur de æterno isto rerum omnium materialium principio disquisitio, necessario in Physicam introducenda fuit; intelligique, pro quam necessaria & nobili Physices

Hinc igitur illæ lachrimæ: formæ, privationes, & cetera monstrâ, quæ tantopere Physicæ nocuerunt. Multa quoque ex recepta semel hypothesi Theologica, Physicæ immiscere debuit, ut æternam sphærarum cœlestium a diis immediatam circumvolutionem, & cætera.

(q) Mirum non est, genitilium Philosophos ab his si-  
renis seduci se passos fuisse, eum ii etiam, qui Christianorum  
præ se nomen ferunt, & ex S. Scriptura meliora edocti  
esse debuissent, ex materia quadam præexistenti, non æter-  
na licet, mundi ortum explicare, principiaque hinc & le-  
ges corporum universales, omnibus phænomenis explican-  
dis aptas, deducere conati sint. Quod autem plus semper  
damni & impedimenti, quam utilitatis, hæc conamina Phy-  
sicæ attulerint, egrégie, dicta illustrat.

ces parte eam doctrinam habuerint, vel ex eo potest, quod tam singulari in ea excolenda industria versati sint, quodque inter tot quidem sectas dissimillimas, neminem tamen reperire liceat Physicum, qui hac quoque de re aliquid commentatus non sit. Quum autem certis cuncti principiis defituerentur, nec nisi proprium cuique sequendum esset ingenium, fieri aliter non potuit, quam ut in indole & natura primævæ istius materiæ designienda, mirifice inter se dissentirent, plurimæque hac de re, aliæ quidem aliis absurdiores, enascentur opinione; quibus dum suum quisque inædificaret Physics systema, aliorumque rejiciendo sententias, suam contra alios defendendi necessitatem indueret, iisdem fores aperiebantur incommodis, quorum mox funestos effectus indicavimus, quæque parum certe lætam scientiæ conditionem produnt. (r) Porro, cum & tota hæc de mundi ortu

(r) Amice cum his Historia conspirat. Quod per singulas sectas eundo, facile quidem probari posset, si tam prolixam disquisitionem arctiores nostri permitterent limites. Jam autem paucis tantum hæc tetigisse sufficiat. Jonicam sectam nemo ignorat fluidi alicujus aquei aut ærei instar chaos æternum sibi concepisse. Huic hypothesi plurima eorum reliqua in Physics placita, ex paucis illis quæ ad nos pervenerunt, oppido innituntur, ut e. g. esse materiam fluxam semper & mutabilem, &c. Platonis Timæum qui perlegerit, eadem ratione, ex ortus mundi consideratione, eum quoque principia effectuum naturalium explicandorum defumere videbit. Nec difficilius idem de reliquis cuique,

ortu disquisitio ad Theologiam fere pertineret, & Philosophi, qui DEum ejusque providentiam omnino admittebant, alia ratione quam ex effectibus primam caussam cognoscere nequirent, nec inepte vicissim a caussa quoque ad effectus concludi posse putarent; factum hinc, ut insignis inter Theologiam eorum & Physicen nexus intercederet, multumque ex illius corruptione hæc participaret. Quod non illi tantum suo exemplo probant, qui vel ex omnipræsentia Divina ad vacui impossibilitatem cum Thalete concludere, vel ex impia de Numine, forma mundi informante, doctrina, mundum esse animal, cui sensus, respiratio, &c. competerent, inferre voluerint; sed tota quoque Platonis, Stoicorum &c. satis superque loquitur Physica.

## §. VIII.

**B**Reviter sic potiorem gentilis Philosophiæ partem peragravimus, & nævos ubique vitiaque gravissima offendimus. Dispiciendum itaque jam pro instituti ratione, quid Revelatio ad ejus contulerit emendationem. Qua, quidem in re maxima ei omnino deberi, qui æqua lance rem ponderaverit, facile deprehendet. Non enim inventata tantum plurima præjudicia & errorum qui hactenus rempublicam literariam oppresserant,

D

mon-

---

qui vel leviter scripta eorum aut doctrinæ enarrationes confulere voluerit, constare poterit.

monstra profligavit, aliisque multis philosophantium incommodis, quæ non male vitia quædam status dixeris, subveniebat, sed vacillantes quoque maximi ponderis veritates confirmavit, & deficientia multa supplevit, sicque non occasionem tantum facultatemque gentilium sapientiam repurgandi, sed ex parte materiem quoque fundamentaque novi prorsus emendatique ædificii philosophici exstruendi præbuit. Afferti probationem desiderantes, si ad prima retro post restitutam salutem secula progrediamur, cujus conditionis illius temporis Philosophia fuerit ex supra adductis recordantes, simul autem quam magnam subito per Christianos mutationem subierit, perpendamus, se ipsam facile res expediet. Etenim quam primum ab Ecclesiæ Christianæ doctoribus Philosophia excoli cœpit, licet ad illud quidem culmen, quod postea ascenderat, evehi ab iis statim haud posset, (s) alio tamen prorsus ac apud gentiles habitu

(s) Plurimæ enim, hoc quo minus fieri posset, obstant rationes. Namque primo quidem multi ex iis, quod vel ad gentilium deliria pallianda & hæreticorum incrustanda somnia, vel atheorum impietatem refocillandam, trahi apprimeque inservire, corruptam tum temporis Philosophiam cernerent, ut omnium eam errorum scaturiginem detestati sunt, mediumque tenere nescii, cum corrupta gentilium sanam quoque omnem odio habere Philosophian, sublato hoc discrimine cœperunt; aut mediocri tantum ingenii vi pollentes, aliis gravioribus detenti muneribus, persecutionibus vexati fere perpetuis, seditionibus, bellis, tumultibus con-

bitu conspiciebatur, a gravioribus plerisque ethni-  
corum erroribus purgata. Quod vero illorum haud  
quaquam sollertiae adscribi posse, qui gentilium  
plerumque erroribus innutriti, nequicquam his ex-

D 2

cellen-

tinuis turbati, novo & accuratori systemati formando pa-  
res haud erant; unde factum, ut in iis licet egregie sape-  
rent, quorum S. Scriptura aperte mentionem facit, in reli-  
quis tamen, ipsis quos reprehendebant gentilium Philosophis  
cedere, nec meliora, quin & insultiora interdum tradere vi-  
deantur. Deinde, alii in admirationem gentilis alicujus  
Philosophi præcipue rapti, auctoritatisque tam cœco fasci-  
nati præjudicio, ut verum, nisi quod ille dixerat, videre  
haud possent, cum ex religionis suæ decretis ad S. Scriptu-  
ra regulam omnia gentilium examinare placita deberent,  
perversissimo consilio, illius ad hæc confirmando obtorto col-  
lo trahabant oracula, aut ubi hoc quidem fieri non posset,  
in mihiorem eadem transformate sensum, mediaque quasi in-  
ter Christianismum & gentilismum incedere via cœperunt;  
quod perversum institutum non enthusiasmum tantum Plato-  
nicum in Ecclesiam introduxit, sed errorum quoque Origenis  
plurimorumque aliorum malorum scaturigo fuit. His in-  
commodis tandem prioris doctrinæ corruptio accessit, Ro-  
manique imperii clades agmen clausit. Cur autem præter  
Doctores Ecclesiasticos pauci ex Christianorum gente Philo-  
sophiam excoluisset deprehendantur, id præcipue in caussa  
est, quod prioribus seculis sanctam ubique simplicitatem  
quandam profiterentur homines Christianis sacris iniciati,  
qui vero ex iis doctrina alicubi & eruditione valerent, ma-  
xime ad sacra plerumque munera obeunda accederent, gen-  
tilium sic Philosophos, adversantes sibi, propriis eorum ar-  
mis profligaturi. Posterioribus autem seculis, frequentes  
bellorum tumultus ita ubique terrarum obstrepebant, ut per-

cellentiori gaudebant ingenio, eo magis manifestum fit, quo certius constat, multos eorum rudes plane & in philosophicis hospites, S. Scripturæ solam luculentissimam sapientiam eductos, nulla ex parte, quo minus cum gentilium Philosophis con-gredi, & facilitatem vitiaque doctrinæ eorum detegere auderent, reformidasse. Quin ipsos quoque gentilium Philosophos de præstantia Christianorum doctrinæ fuisse convictos, non frequentes tantum Philosophorum ad sacra eorum accessiones docent, sed inde quoque conficitur, quod Stoici in primis, postquam sanctissima religio inclaruisset, in multis sententiam mitigaverint atque Christianorum placita in sua arva derivaverint, quod vel ex Senecæ, Antonini, Epifeti exemplo patet. (1) Ea quoque est, si curatius illam consideraverimus, Sapientiæ Reve-

pauci musarum sectari possent delicias; qui vero etiam turpem illam & ineptam philosophandi rationem sectariam feculi sui more secuti, parum omnino literas adjuverunt. Tandem vero & hanc qualemcumque ignorantiae temoram hostiles principum in literas animi & barbarorum dominatus fustulerunt penitus, quam deinceps rerum constitutionem Romani Pontificis industria conservavit, utpote cuius impudens & injusta dominatio, in tenebris orta fundataque, lumen minime sustinere potuit.

(1) Conf. Bruckerus in *Hist. Crit. Phil.* T. I. P. II. L. II. c. IX. §. 3. p. 909. seq. & T. II. p. 531. seq. qui dissertationem quoque suam *de Stoicis subdolis Christianorum imitatoribus* reperiundam Temp. Helvet. T. III. p. 260. indicat, atque ad eam lectorum remittit.

Revelatæ indoles, ut methodica licet nostri ævi  
accusatione, aut demonstrationibus thesibus statim  
subjunctis, exarata non sit, quod neque Divinum  
ejus Auctorem decuit, nec tulit majestas rerum,  
humanæ intelligentiæ vim & notionem fugientium,  
quæ præcipuum ejus constituant argumentum; sin-  
cere tamen eam consulentibus & amplectentibus,  
& ab allatis supra gentilium aliisque tutum præstet  
erroribus, & in iis quas attingit rebus, vera quæ  
sint falsaye dijudicandi facilitatem præbeat. Fieri  
igitur non potuit, quin Divino hoc lumine præ-  
dicti Christianorum doctores gentilium facile dispel-  
lerent tenebras, rationisque disciplinæ purioris ad  
florem debitum perducendæ fundamenta jacerent.  
De *Theologia* ne dubitari quidem hoc potest, quam  
in Sacris Pandectis purissimam & integerrimam ex-  
hiberi, nec adversariorum æquiores, quam diu in-  
tra rationis sphæram consideratur, (quæ enim in-  
tellectus humani transcendunt limites, hic in con-  
siderationem non venire per se patet,) negare pos-  
sunt; decentem enim de summo Numine ideam  
sistit, solumque æternum, independentem, liberri-  
mum, omnipotentem, simplicissimum Eum esse  
non minus, quam universi ex nihilo creatorem,  
conservatorem & moderatorem benignissimum &  
sapiensissimum evidenter docet: quæ qui edocti  
probe erant, non gentilium tantum Theologiam  
emendare, sed ad summum quoque florem natura-  
lem de DEo doctrinam perducere potuisse, pater.  
Neque minorem in *Psychologia* emendanda usum

Revelatio præstítit, cum & animæ humanæ pri-  
mam originem luculenter ostendat, & diversita-  
tem ejus a corpore, immortalitatemque, non mi-  
nus egregie inculcat; quibus jactis fundamentis fa-  
cillime gentilium heic commenta profligari & me-  
liora solidioraque substitui poterant; *Moralem* ve-  
ro *doctrinam* tam excellentem Sacrae Literæ tra-  
dunt, ut & ipsis Divinitatis ejus hostibus admira-  
tionem moveat. (n) Providentiam summi Numi-  
nis, justitiam & erga homines benevolentiam, li-  
bertatem actionum humanarum, obligationem ad  
cultum summo Numini præstandum, animæ im-  
mortalitatem, & præmiorum penarumque post  
mortem certitudinem, evidentissime insinuat; at-  
que legis Divinæ rigorem & profundissimam cala-  
mitosamque humani generis labem vividissimis  
depingit coloribus. Veram præterea ad virtutem  
viam monstrat, & efficacissima ad illam conse-  
quendam adminicula subministrat. Difficile ita-  
que esse non potuit his sufficiens principiis, genti-  
lium errores depellere, fallacem virtutis eorum  
indolem nudare, & superbam de sufficientia pro-  
prietatum virium persuationem comprimere. *Phy-  
sice*

(n) Narrat auctor *anonymus*, qui edidit *Bref om Blan-*  
*dade Amnen*, quod cum homine naturalismo infecto in Gal-  
lia collocutus sit de religione Christiana, qui, cum ille ex  
præstantia doctrinæ Salvatoris & Apostolorum moralis veri-  
tatem ejus demonstrare vellet, ei dixerit: *La morale est Di-*  
*vine, mais le dogme est faux.* Vid. Epist. VII. p. 84.

*ſicæ ſi nihil aliud utilitatis attulit, hoc tamen extra dubium eſt, opinionum illa de ortu mundi portenta delendo, quorum tam late per totam hanc ſcientiam effectus & propagines manarunt, perverſam hanc philofophandi rationem Revelationem noſtram fulſuliffe, rixasque eo ipſo & contentiones Physicorum, hinc maxime ortas, quibus quam na- turæ viribus ſcrutandis magis fere intenti fuerant, diſſipaffe, atque liberos in posterum homines ex- perimentis meditationibusque Physicis iſtituendis præſtitiffe, quibus hujus ſcientiæ noſtra ætate flo- rem debemus. Addi potest, emendata Theologiæ indole, nimis arctum illum hanc ſcientiam & Physi- cam inter nexum insigniter imminutum eſſe, qui & Stoicorum, & Platonis & ex parte Aristotelis alio- rumque Physicæ multum nocuit, & ex illius fere corruptione unice dependebat. Neque exigui qui- dem in multis naturæ phænomenis explicandis u- fus diluvii historia erit, cujus licet confusa quæ- dam notitia per traditionem ad omnes fere gentes permanaverit, tutiorem tamen & diſtinctam ma- gis cognitionem Revelationi debemus.* (x)

(x) Plurima adelle in tellure noſtræ aquæ eam aliquan- do totam ambientis, vestigia, & antea multis conſtituit ob- ſervationibus, & noſtra inprimis ætate, poſtquam celebra- tissima *de aquarum decremento* controverſia agitari coepit, extra omne dubium collocatum eſt. Hæc phænomena, ſi diluvii accuracyrem notitiam Revelationi haud ſuppeditavis- fet,

set, aut explicari non potuisse, aut quod indoli humanorum ingeniorum magis convenit, observatoribus suis nescio quæ impositura fuisse delicia, necesse est, quibus tamen jam & facile & libenter carere possumus. Lentam quandam & perpetuam hic aquarum diminutionem statuere, ad omnia phænomena explicanda ægre sufficit, cum inde neque destructionis & violentiæ manifestissima, qua montes nostri exhibent, vestigia explicari, nec petrificatorum animalium, herbarum, &c. in montium & terræ penetralibus repertorum ratiōnes dari queant. S. Codicis igitur hic de diluvio universalī narratione standum, ne eam deserentes, temere ipsos nosmet in absurdas & incertas præcipitemus conjecturas, & agnoscenda grata potius mente sunt, quam extenuanda, quæ per Revelationem ingentia summus ejus Author in nos conferre dignatus est beneficia. Conser. Orat.

Nob. Dni Tilas, Sten-Nikets Historia, coram Reg.

Acad. Scient. Holm. habit. & Rev. Episc. Bro-  
wallii Betävande om Wattuminfningen,

§. 77. p. 177. seq.



## À L'AUTEUR.

MONSIEUR!

**Q**uoique le chemin de la gloire & de l'honneur soit par lui même très difficile à chercher; celui de trouver le véritable l'est encore plus; car le premier se présente souvent à des personnes, qui ne permettent pas à une vertu sans tache d'être le conducteur de leurs actions; au lieu que le second se rencontre & se trouve, lorsque l'application à l'étude, & les soins que l'on y emploie sont accompagnées du mérite & de l'esprit.

Pour vous, Monsieur, qui encouragez vos chers compagnons à acquerir les sus dites qualités, qui leur en montrez même le véritable chemin, & qui vous y êtes appliquée avec autant d'exactitude, que de plaisir, je suis très persuadé, qu'il ne vous sera pas difficile de parvenir aux hauts degrés de l'honneur auquel vous aspirez.

La savante dissertation, que vous donnez au public, Monsieur, fait connoître suffisamment, que vous possédez les qualités & vertus qui ornent un Etudiant, & qui me font présager l'avantage que vous en retirerez, joint au plaisir extrême que vous allez causer à votre chère famille & à vos amis.

Comme j'ai toujours eu l'honneur d'être du nombre de vos intimes amis, & que je trouve aujourd'hui les occasions de pouvoir vous féliciter sur vos progrès à venir,

je vous prie, donc, Monsieur, d'accepter ces courtes lignes comme une marque de mon amitié sincere, & de la joie interne que je ressens de votre avancement.

Je souhaite enfin de voir du moins vos travaux Académiques récompensés aussi bien que vos vertus & vos vieilles couronnées de Lauriers; ce qui vous fera passer avec tranquillité & plaisir le reste de vos jours entre les bras de la gloire & de la fortune;

C'est de quoi vous pouvez être assuré, & de l'amitié profonde, avec laquelle je suis

MONSIEUR

votre très-humble serviteur

& fidèle ami,

ERIQUES CAJANUS, Fils.